



48

Venerabilis viri Georgii Ernesti Stahli
M. D. & Prof. Publ. Ordin.
h. t. Facult. Decani
Propempticon Inaugurale
de
Commotionibus Sanguinis Activis
et Passivis.

GEORGII ERNESTI STAHL,
M. D. & PROF. PUBL. ORDIN.
h. t. FACULT. DECANI

**PROPEMPTICON
INAUGURALE**

DE

**COMMOTIONIBUS
SANGUINIS ACTIVIS
ET PASSIVIS.**





Vicunq; Naturæ rerum scrutinium fascipiunt, si neglecta Mixtionis & Motus ratione, solum structuram atque figuram rerum speculentur, nunquam quidquam solidi, certi, & necessarii, inde demonstrabunt. Cum enim & Mixtio, quam Corpora Aggregata & structa pro fundamento sui Materiali habent, & circumstantiæ illæ Motuum abstractivæ, tempus, gradus, locus, proportio, duratio, planè diversas affectiones à structura & figurâ habeant, necesse profectò est, tum has ipsas res *ὕπεροῦσαν*, tum maximam & optimam partem actionum, cum iisdem negligere, quandoquidem determinaciones Actionum, plurimum his ipsis circumstantiis innituntur. Eximium prorsus hujus generis exemplar, præbet ipsa Circulatio Sanguinis. Hæc, quare ita fiat, quâ necessitate materiæ, si interrogas; erunt, qui Machinam Cordis ita structuram esse causabuntur, ut, dum Sanguis in ipsam irrumpat, sive pondere, sive mole, sive calore, sive figurâ ipsâ particularum suarum, parietes cordis ita, juxtâ alios tendat, juxtâ alios premat, juxtâ alios irriter, ut inde contractio illa subsequatur. Ita statim oblivioni tradetur, tum Motio Cordis activa, in se considerata, quam in pluribus, præcipuè verò aqualibus & amphibiiis animalibus, videmus; quibus nempe citrà ullum impetum à Sanguine factum, etiam excisa diu, corda pulsant: Tum silentio involvetur universus ille usus, imò necessitas, quæ hoc Motu Sanguinis, Conservationi ipsius & totius corporis præstari debet. Cum enim mixtio Sanguinis eius sit conditionis, ut non possit diu in eadem integrâ sui cohæsiione persistere, quin perpetuâ intimiore discessione dissolvatur: Ibi, si hæc ex ipso secedentes portiones, justò diutiùs in reliqua Massâ perseverarent, mutarentur certè tandem in fermentum, reliquæ universæ Sanguinis quantitati, præcipiti impetu dissolvendæ idoneum. Præcavetur autem hoc ipsum perpetuo illo circulari Motu, quo Sanguis ad varia Colatoria atq; Excretoria Organa, jugi successu appellitur, adeoq; subnascencia illa inquinamenta, unâ cum illis heterogeneitatibus, quæ ab extra in corpus assumuntur, quasi singulis momentis, aut ad minimū horis, ex sese dimittere potest. Quemadmodum verò ex antedicta Theoria, hæc utilitas, imò necessitas,
Motus

Motus Sanguinis non apparere potest: Ita planè aliena eadem est à reddendâ ratione Motus ipsius, secundum tempus, gradum, proportionem, &c. quibus ille fieri observatur. Unde, si omnia reliqua non essent, certè instantanea illa, & absolutè Synchrona, mutatio pulsus, cum mutatione animi, ad iram, terrorem, gaudium, quomodo cum antedictâ efficacîâ irruptionis Sanguinis in Ventriculos Cordis conciliari possit, & quomodo affectus hi immediatè alterent Sanguinem, ut ille demum Cor deinde alteret, quis ullo modo adumbrabit. Tantò magis verò remanet etiam sub tali opinione adhuc æquè, ac in omnibus aliis quibuscunque conceptibus, fundamentalis illa difficultas, à quonam agente Cor propriè, intrinsecè & immediatè moveatur? Siquidem dicere, quod distensio provocet Motum, longe abest ab eo, quod distensio præstet omnem Motum, & præcipuè ipsum contrarium, nempe constrictorium. Ego cum manifestò perspiciam, quod Motus Cordis, & per hunc Sanguinis progressus, ad absolutam Conservationem & depurationem ipsius intimæ Mixtionis Sanguinis, & universi Corporis, directè necessarius sit; quodque adeò tota Mixtio & Structura Corporis per hunc Motum unicè conservetur: persuadere menti meæ non possum, quod hic ipse Motus ita purè accidentaliter & passivè provocetur, ut tanquam nihil Sanguinis in Corde tolerari deberet, distensione sui irritatum Cor eundem repelleret: Cum si absque hoc Motu esset, tota compages corporis, non posset ad leve tempus subsistere. Sanè itaque illud, quod sine certo aliquo actu nullatenus subsistere potest; quod actum illum directè & purè consequitur; quod illo sublato immediatè perit atque pessundatur: illud ipsum pro effectu directo ita accipio atque explico, ut ipse ille Actus, propter illum effectum destinato consilio institutus, & directè ad ipsum determinatus haberi, mereatur. Quamvis enim de Finibus rerum, quarum nulla insignis conspiratio cum aliis innotescit, prolixum esse, neque ego ipse exigam: in rebus tamen sociis, mutuo manifestè dependentibus, imò necessariis, dubitare pertinaciter, quin illa, quorum unum sine altero esse non potest, propter hanc mutuam necessitatem, ut finem, instituta sint, mea utique ratio consentire non potest. Cui accedit, quod à posteriori, ab ipsa experientia, quam maximè

conspirare appareat ipse eventus, dum adsuæfactiones ad certa tempora Motuum, certis locis peragenda, cum structurâ sanè partium nihil omninò commune habent, & tamen interim factu perquam faciles observantur. Multos homines dari, qui abundantia boni Sanguinis, quam Plethoram appellamus, affecti sint, vix quisquam, nisi planè imperitus Speculator, nescit. Interim Plethorici purè tales, tantum abest, ut frequentio-rem aut celerio-rem pulsum cordis experiantur, ut potius languidius & mollius ille in talibus fieri deprehendatur. Quemadmodum verò hæc simplex quantitatis abundantia, pulsum nihil, aut parum, & magis in contrarium, alterat: Ita contrà mutat eundem citò, & sæpè admodum constanter & diu, si ipsa hæc quantitas abundans, prætereà adhuc ab aliqua occasionali causâ ita commoveatur, ut auctis, aut retentis illis recrementis, quæ Mixtionem universam turbare possent, eo ipso frequentior ipsius circumpulsio necessaria fiat, ut nempe nocumenta denique elidantur. Inde enim est, quod in statu Plethorico vix quidquam majorem & præsentio-rem noxam afferat, quàm post insignes motus corporis, emanante affatim sudore, & transpirante unâ portione vaporosiore turgefactoriâ, ad orgasmum fermentalem magis dispositâ, repentina hujus exhalationis cohibitio. Inde enim facillè suboriri pulsus exacerbationes graves ac diuturnas, nempe febres, in vulgus notum est. Neq; tamen illud ita velociter, ut tantum à simplici repressione Sanguinis ad Cor deduci valeret; siquidem post aliquot demum horas, imò sæpe numero unum vel alterum post diem demum, cooritur hic tumultus. Nequaquam itaq; Plethora simpliciter, directè, concitat febriles universales, pulsorias, aut alias partiales tonicas, commotiones: sed successu temporis demum ansam præbet Naturæ, ut, vel propter inolefcentem recrementiarum partium farraginem, vel propter præcavendam aliquam periculofam Sanguinis oppressionem, vel denique propter frequens incommodum exorbitantiæ, aliquid contrà ipsam Plethoram molliatur.

Inde videlicet est, quod multi quidem homines, manifestâ Plethorâ affecti, per longa tempora satis sani atque incolumes vivant, si modò paulo tranquilliori sint animo, Corpus verò frequentioribus modestis motibus exercent. Quotcun-
que

que verò Plethorici, immoderatis repentinis motibus, Sangvinem nunc & tunc exturgescunt; Aut rariùs quidem, sed enormiter, potibus inebriativis atque æstuosis Sangvinem exagitant, & acria recrementa in eodem coacervant: Aut animi iracundiã taciturnã, aut terroribus gravibus, à priori, indignabundam, aut anxiam, intentionem concipiunt: Hi omnes atque singuli, in proximã potentia noxæ à Plethorã suscipiendæ, constituti sunt; Adeoque vel passivas stases, obstructions, tumores, corruptiones, expectare: Vel activas elisiones contra machinari, necesse habent.

Peccat itaque Plethora præcipuè sui commotione; quatenus Sangvis sæpiùs exturgescitur, aut ingurgitatis citò, quæ non sufficienter secerni valeant, recrementis, efficaciter abundat seu exundat, adeoque, ne ulteriores noxas proximè perpetret, utiliùs imminuendus est. Quo fine activæ illæ Commotiones ipsius Locales suscipiuntur, nempe Febriles agitationes, quibus partim consumtio, partim secretio & excretio, brevi tempore peragatur: aut Congestiones & expressiones Hæmorrhagicæ, ut sincerã evacuatione ipse immediatè imminuatur, adeoque & excrementa, sub breviori reliqui circuitu, promptiùs evacuari possint.

Vel contrà, peccat Plethora defectu etiam sufficientis motus; Unde successiva spissescencia, & retentio etiam ordinario- rum recrementorum, partim spissiori Sangvini tenacius immerfori, partim sub tardo ipsius circuitu segniter secedenti.

In rubro itaq; Discursus, designavi duplicem commotionem Sangvinis, Activam, & Passivam. Ne fiat implicatio per diversos respectus, declaramus hoc ita, quod passiva, ratione Oeconomix Corporis intelligenda videatur, quæ nempe huic ferius ocyus detrimentum minetur. Activa contrà, quæ omni modo ad conservationem potius Corporis destinata & aptata est.

Hoc sensu licet adhuc ulterius ipsam quoque illam passivam Commotionem, denuò dividere in Positivam, quæ est Turgescencia: & Privativam, quæ est Spissescencia.

Activa verò commotio inducitur sangvini ab ipso Agente Vitali, & consistit vel in pulsus, vel in Toni intensione, imò interdum etiam remissione, ut in Syncope & Paralyfi.

Prior illa, passiva Sanguinis commotio, quam ab actione aliqua extrinsecâ aut extraneâ patitur, est cãusa impulsiva, PROPTER quam activæ commotiones suscipiuntur. Et quia prædictæ illæ, semper in proximâ potentiâ nocendi sunt; Propter eâ occurrit iisdem Natura per has posteriores.

Cæterum dissimulare utique non licet, quod istæ quidem passivæ commotiones, communissime sint Activarum irritamenta: In harum tamen posteriorum assuefactione jam prævalente, etiam levis sæpè occasio sufficiat, ad easdem denuò provocandas.

Totum negotium ipso exemplo magis fortè dilucescet. Certum utiq; est, teste Experienciâ, quod nemo homo propior sit morborum periculo, quam qui athleticè valet, & optimè habitus apparet. Non ex illâ, nescio quam Metaphysica, ratione, quia nihil diu in summo gradu durare queat, quam Hippocrati omnes interpretes subscripserunt: Sed quia Sanguis, in tali habitu luxurians, facile exagitur. Unde sanè plethoricis talibus, à repentinis corporis agitationibus, à vini insolitis abusibus, ab aëris ambientis insignibus permutationibus, a vigiliis infuetis, à curis, terroribus, iracundiâ, facillimè, imò & promptissimè, Sanguis turgescit, ut modò in universum habitû Corporis, modo magis ad interiora, exundans, passivam commotionem Corpori offerat, quæ modò respirationē graviter obruat, modo eruptiones circa teneriora loca minatur, modò ad minimum irruptiones in partes, & stases corruptioni obnoxias, ibidē subeat, unde acuti, lancinatorii, suppuratorii, Dolores Capitis, Pectoris &c. Si verò contrâ, sub tali Plethorico statu, in plena Diæta, Corporis atque animi otium & torpida segnities servetur, & in ipsis cibis atque potibus, præcipue potus paucitate, & aëris etiam ambientis frigidulâ constitutione, crassitie Sanguinis materia subministretur, spissescit ille, & obstructionibus, aut sanè operoso transitui, subnascentibus deniquè Aquoso-mucidis tumoribus, aptatur. Iam si consiliū generale dandum sit, quomodo fundo horum malorum subruendo opera efficaciter navari possit? quodnā aliud dederis, nisi ut materia ipsa minuat. Imminutio hæc, cum vel immediate per evacuationem sinceram fiat, vel per consumptionem, tu quidem V. S. aut motus laboriosos & exercitia Corporis, cum tenuiore Diæta, susseris:

Idem

Idem consilium & capit Natura & exequitur Hæmorrhagiis, & Febris. Crassiorem quoque Sangvinem Motus ejus intensior discutit, & fluxilem reddit; fiat, vel labore, vel febre. Particulariter verò tardantem, neque commodè per poros partium transeuntem, quæ promoveas? Preme fortius partem, vel exercitio, vel spasmò. Hi itaque sunt illi Motus Activi, quibus Sangvis efficaciter commovetur, ut frivola ipsius commotiones passivæ, Oeconomix animali detrimentum afferre non possint.

Cum verò palmarium sit, quod Sangvis & abundans, & frequentioribus illis commotionum passivarum occasionibus, magis magisque proximam potentiam nocendi attingens, nullâ medicatione verè curari possit, nisi solâ, vel Evacuatione, vel Consumptione; Consumptio verò sit res arbitrii, per Motus laboriosos perpetranda, tardior, molestior, & ob succedentem voracitatem atque otium, incertior: Evacuatio verò prompta, & efficax: Placuit Mortalibus hanc potius eligere, unde maxime V. S. usus ortus.

Posset de hac prolixè agi, nisi hoc argumentum Speciminis Inauguralis loco sibi sumisset vir Juvenis doctissimus
DN. CHRISTIANUS ALBERTUS Richter, Sora Lusat.
Natus M DC LXXIV. Patre viro Prænobil. Excell. Consul-
tissimo Dn. SIGISMUNDO Richter, IC. Illustrissimi Comitiss
de Promnitz Cancellario atque Consiliario gravissimo: Ma-
tre, ANNA MARGARETHA DEBLERIA, Matrona omni-
bus Virtutibus spectatissima. In pueritia per privatos Informa-
tores institutus, denique MDC LXXXIX. Vratislaviam in
MAGDALENÆUM GYMNASIUM transmissus, Viror.
Celeberr. Dom. Gryphii Rectoris, & Dom. Kupffenderi, fide-
li informatione in Ling. Græcâ, Historia, Politica, Physica, &
reliqua Philosophiâ, potitus atque usus est. Inde ad altiora stu-
dia satis instructus, Anno MDC XCI. Wittebergam adit,
ut ibi sub auspiciis Magnif. Dn. Strykii Fundamenta studii Ju-
ridici jaceret. Cum vero perpetuo animi impulsu ad Physicam
atque Medicinam magis inclinaret, habuit ap. Exc. Dn. D. Va-
ter Collegium Physicum Experimentale: & apud Dn. Strau-
chium, Collegium Opticum: Historica etiam studia profecu-
turus, Celeberr. Schurzfleischium, Bœcleri Notitiam Imperii
explicantem, audivit. Fere sub initium anni MDCXCIII. Ha-
len.

lensem hanc Academiam ingressus, non quidem omisit Juris universi notitiam, sub Excellentissimis Viris Strykio atq; Thomasio, prosequi; Cum tamen tam sub publica, quam privatissimâ instructione modo celebrati Thomasio, affatim audiret, quantum ad sapientiam pertineat, se ipsum & creaturarum admiranda novisse, magis ad ipsam Medicinam applicuit animum. Hausit itaque Physiologiam & Pathologiam Medicam, simul cum contradistinctione Theoriarum hujus generis Physicarum, calamo atque mente, ex meo ore. Anatomiam quoq; privato Collegio, me demonstrante MDCXCIV. & XCV. Publicas quoque Corporum humanorum dissectiones ab Exc. D.D. Hoffmanno administratas, perspexit: Revocatus hinc in Patriam, reliquas partes Doctrinæ Medicæ, eodem filo deductas, connexas, atque a quisquiliis repurgatas, scriptim à nobis traditas Auditoribus, transmissas obtinuit, & solerter condidit. Reversus vero prosecutus est denuo studio fervidissimo nostram artem, diligentissimè audiens Collegia nostra, Practicum Casuale, Pharmaceuticum, Chirurgicū Casuale, & Chymicum. Tandem eo deductus, ut sibi fidere posset, præcipue quidem in Pædagogio atq; Pædotrophio Glauchensi, ægrotantibus, mox vero & aliis perentibus, Practicâ operâ subvenire cœpit, recurrens circa principium, laudabili consilio, ad nostra subsidia, neq; hætenus sua consilia, ubi opus videtur, nobiscum communicare oblitus. Pertigit hæc industria & solertia, cum ingenii fecunditate, & humaniorum studiorum subsidiis, præcipue verò Divinâ Clementiâ, ad illum apicem, ut sibi ipsi consulere & Scientiam suam non magis exercere quam exhibere in Praxi, possit. Consultum itaq; duxit, LICENTIAM agendi petere. Examinibus consuetis exhibuit se, qualem omninò decet, non minùs ipsa Practica notitia, quam Theoriâ Praxi respondente optime instructum. Decretum est. Habebit pro ultimo in hoc genere specimen sub meo Præsidio, Disput. de VENÆ SECTIONIS PATROCINIO quam Theoriâ verè Medicâ, cum Practicis observationibus conspirante, instructissimam conscripsit. Ad quem actum solennem, d. 25 Junii absolvendum, Magnif. PRORECTOREM, Excellentissimos Academiæ Procures, Illustrissimos, Illustres, Generosissimos, Doctissimos, Hospites atque Cives, Fautores quoque Academiæ nostræ atque Studiorum omnes & singulos, quibus fas est obsequiis, officiis, & humanitate invito. P. P. Sub Sigillo Facultatis d. 24. Junii, 1698. (L. S.)

Catalogus et Index Dissertationum in hoc Tomo
Contentarum.

3. Diss: de februm rationali ratione.
4. — — — pathologia.
5. — — — therapia.
6. — — — febre tertiana.
7. — — — febribus biliosis.
8. — — — febre petechiali.
9. — — — malignitatis natura.
10. — — — V.S. in febribus acutis.
11. — — — inflammationis pathologia.
12. — — — abscessu & furunculo.
13. — — — Phlegmi.
14. — — — Cancro.
15. — — — V.P. porta malorum.
16. — — — motu sanguinis hemorrhoidali.
17. — — — motu hemorrhoidum internarum.
18. — — — mensium insolitis viis.
19. — — — hysterochondriaco-hysterico affectu.
20. — — — hydropse, ascite precipue.


21.	Diss.	De scorbuti et luis p̄re differentia.	4
22.	—	—	4
23.	—	—	4
24.	—	—	4
25.	—	—	
26.	—	—	
27.	—	—	
28.	—	—	
29.	—	—	
30.	—	—	
31.	—	—	
32.	—	—	
33.	—	—	
34.	—	—	
35.	—	—	
36.	—	—	
37.	—	—	
38.	Progr.	De abstinentia et nausea à carnibus in morbis præcipue acutis.	
39.	—	—	
40.	—	—	

41. Progr. De sterilitate foeminarum per cibatem.
42. — — methodo medicandi.
43. — — cornu cervi deciduo.
44. — — scarificatione narium aegyptiaca.









Ua 5316

ULB Halle 3
004 109 724



Sb

1017







48

NESTI STAHL,
PUBL. ORDIN.
T. DECANI

OPTICON
URALE

IONIBUS
S ACTIVIS
SSIVIS.

